



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

17. Dies Septemb. Conservare humanitatem, quid aliud est, quàm diligere hominem, quia homo sit, & idem quod nos sumus? Lactantius l. 6. c. 11.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Septemb.

Tessera.

735

neratim, de genis maximè intelligi debet, quod verecundiæ proprium est diversorium, si Plinio credimus. (a) *Genæ, inquit, pudoris sedes: ibi maximè ostenditur rubor.* Hinc Socrates hortabatur juvenes, ut hæc tria haberent: in animo prudentiam, in lingua silentium, in vultu verecundiam. Hæc tria consecutum fuisse decora Satyrum, describit ejus frater D. Ambrosius, in hunc modum. *In catu virorum rarus attollere os, elevare oculos, referre sermonem.* Adeò verecundiæ partes omnes expleverat, numeros absolverat. Apud Lacedemonios Pædagogi adolescentum, ad omnem verecundiam eos instituebant: manus intrâ pallium continere, demissos habere oculos, pauca loqui, adeò ut dicere non vereatur Xenophon, (b) *Verecundia majori fuisse, quam in thalamis Virgines.* Sed verecundatur suis laudibus Verecundia, jubetque me, ad alias virtutes digredi: quare ne perfundam illam rubore, finio cum hoc elogio ruboris.

*Virtutum florem perdis, perdendo ruborem.*

## 17. DIES SEPTEMB.

Conservare humanitatem, quid aliud est, quàm diligere hominem, quia homo sit, & idem quod nos sumus? *Lactantius l. 6. c. 11.*

Humanitas.

**I**Nter virtutes præterire Humanitatem; summa foret inhumanitas! cum nihil tam sit proprium homini, quàm Humanitas. Hoc nos docet ipsa hominis etymologia ex Divo Ambrosio haulta. (c) *Considera ô homo, unde nomen sumpse-*

(a) *l. II. c. 31.* (b) *In rep. Lace. 1.* (c) *3. Offic. c. 3.*

sumpseris: ab humo utique, quæ nihil cuiquam eripit, sed omnia largitur omnibus, & diversos in usum omnium animantium fructus ministrat. Indè appellatur Humanitas, specialis, & domestica virtus hominis, quæ consortem adjuvet. Proprium humanitatis, pati alienos, uti nævos in vultibus, ita & in moribus. Docet ipsa Societatis humanæ necessitas, omnibus etiam pugnantibus geniis, urbaniter convivere, pati mores, quos immutare, ita nec evitare possumus. Debet itaque vir humanus, instar aeris, ex occasione contrahi, dilatari, loco cedere, vacuum implere, cuiuslibet quantitati, vel figuræ commensurari, ne mundi civilis unitas, & compago, solutione continui dispereat. Hoc ingenium versatile, non humana tantum prudentia, sed naturæ lex commendat. Quis enim æquius, quàm eorum onera portare, qui vicissim nostra patientur? personarum, ut rerum, non minus incommoda, quàm commoda partiri? earumque diversas condiciones, si beneficium accipimus, obsequio, si conferimus, geminâ gratiâ tolerare?

II. Vide in Ethnico Christianam Humanitatem. (a) Hydricus cùm quendam coniecisset in carcerem, Agefilaus humaniter pro captivo veniam deprecatus est, hunc in modum scribens: si nihil peccavit, oro ut hominem dimittas; si peccavit, mihi dimitte; sed omninò dimitte. Innocentem punire, scelus est, culpam interdum condonare, in gratiam honesti deprecatoris, humanitas est: Ut impendio malignus sit, qui fontem patentem obtegat, aut solem obradiantem prohibeat, aut lumen recuset de suo lumine accendere, aut viam erranti monstrare

(a) Plutarch. in apoph.

gravetur : ita vehementer sit inhumanus , qui prodeesse nolit, citra nullum sui incommodum. Præclare ad rem nostram D. Gregorius Nazianzenus. (a)  
*Omnis qui navigat , naufragio est proximus , & tanto plus , quanto navigat audacius , ac omnis qui corpore est circumdatus , proximus est corporis malis , quanto elatius pertransit , & ante se iacentem non respicit. Quamdiu vento navigat secundo , manum naufrago prabe. Quamdiu rectè vales , & dives es , afflictio succutere me expecta donec ex te ipso dicas , quantum malum sit inhumanitas , & quantum bonum viscera aperire indigentibus. Ubicunque ergo se effert proximi calamitas , illic materiam se prodendi habet Humanitas.*

III. Inhumanitatem te dedocebunt , & docebunt humanitatem , in quibus nihil est hominis, bruta animantia, & immites belluæ. Marinus apud Ariminum , vitam solitariam duxit ; Cùm verò aliquando cellam suam versus ab urbe Româ rediret , atellum quo in via utebatur , visus terribilis invadens, peremit. Ille utrum tenuit , & ut alini vices subiens, ad cellam usque se deferret , jussit , subito silvestrem exuens animam immanis bestia , domum homini præbuit , cujus asello non pepercerat : diceres humanitatis ejus conscientia : quoniam ille amissi jumenti jacturam passus ; in auctorem damni non excanduit , neque indignatus est , sed tantum se vitio ejus usus , quo probare posset se pœnas ab ipso exigere , si vellet , cujus dorso potuit tam imperiose inudere. Quid mirum, si cum teræ rationis expertes humanitatis obsequia præstiterint , Ethnici in cœca

Pars III.

Aaa

illa

(a) *In orat. de paupere.*

illa errorum caligine, non adeò cæcutierint, quin  
derint, homini esse laudabile, præbere se omnibus  
humanū. Hinc Princeps eloquentiæ, (a) *Nihil est  
regium, tam liberale, tamque munificum, quam  
ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare  
re periculis homines.* Nullæ essent urbes, si nulla esset  
urbanitas: nec viverent homines more hominum,  
si nulla esset humanitas; nec ullus in via peregrinus  
haberet, qui se sociaret comitem, si nulla esset civi-  
tas. Nihil denique habet in se hominis, præter  
figuram corporis, in quo nulla est humanitas. Non  
esse omnibus acceptus, plus dones, quam acci-  
pias. Vis omnibus esse gratus, confer omnibus  
gratiam. Vis frui pace? abstine à lite. Si vis placere  
tua munera, da lætus, non mæstus. Vin' causam? con-  
tende Poetam.

*Si des plorando, perdis tua munera dando.*

### 18. DIES SEPTEMBRIS.

Memento peregrisse te aliquid, testare aliquid; divecti-  
tisse te ad refectionem, non ad defectiorem.

*S. Aug. in psal. 34.*

Urbanitas I.  
sine Eu-  
tropelia.

**H**abet cum humanitate. Urbanitas non tantum com-  
mercium, sed contubernium.  
Ejus lineamenta expressit Ar-  
istoteles. (b) *In jucunditate qua ad jocum accom-  
datur, qui modum quendam adhibet, is festus, seu  
urbanus habendus est: & affectio, Urbanitas, & festi-  
vitas: at qua modum egreditur, scurrilius, & in quo  
ipsa inest, scurra dicitur: qui verò omnino à jocu ab-*

(a) Cicero de orat. (b) l. 2, Eth. c. 7.